



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiariam reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Principium 2. Spes non confundit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

non esse, saltem secundum actum ejus primum, qui est exspectatio certa beatitudinis aeternae per media divinitus ordinata; qui enim jam possidet aeternam beatitudinem, illam amplius non exspectat, atque adeo nec sperat, ut S. Thomas 2. 2. q. 18. a. 2. Quamvis valde probabiliter dicatur, habitum Spei in altera vita saltem quoad substantiam manere, & quosdam actus exercere posse, videlicet desiderium & exspectationem corporis gloriosi, ut Suar. de virt. Theol. tit. 1. l. 8. & Ferd. de Castro Palao p. 1. tit. 5. disp. unic. pu. 3. a. 1. docent.

Deducitur 2. Animas in Purgatorio existentes affectum Spei propriissimum elicere posse, quia illis beatitudo citius sensus, possibilis, & difficilis acquisitu. Et licet de illa cogitanda certa sint, certitudo tamen ista non tollit spem, sed tantum anxietatem & turbationem, uti iterum S. Thomas 2. 2. q. 18. a. 3. in fine corp. & cum eo Suar. Coninck. & alii docent.

Deducitur 3. Eum, cui sua reprobatio à Deo revelata est, licet juxta communioem sententiam desperare possit, quòd in tali casu hoc ipso, quòd beatitudo ut bonum possibile repraesentaretur, spes in illud cum auxilio Dei acquirendum tendere amplius non posset. Hinc B. Zeno S. fide, & spe, &c. ait: *Tolle spem, & artes, virtutesque nunc cessabunt. Tolle spem, & intercepta sunt omnia.*

PRINCIPIUM II.

Spes non confundit.

Sensus.

Hoc est, sperantem non fallit, nec frustratur, sed certò ad assecutionem rei à Deo speratae perducit, si legitime sit concepta, uti Maldonatus interpretatur.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura ad Rom. 5. & commentariis SS. Patrum sensu, inter quos S. Hieronymus, nemo, ait, in peccatis missis veritatis dubitet; sit homo, qui esse debet, & mox ei addentur omnia, propter quem facta sunt omnia.

Ratio.

Quia sic & Fides persuadet, quâ verbo Dei, qui veritas

hanc revelavit, credimus: tum Spes in Fidelitate Dei
confidens: tum caritas, quâ Deus diligitur, & vicissim dili-
gere meritò creditur, atque ad eò omnia ad salutem necessa-
ria media suppeditare. Quæ omnia breviter complexus S.
Bernardus S. 3. de 7. panib. tria, inquit, considero, in quibus tota
vita consistit, caritatem adoptionis, veritatem promissionis,
certitudinem redditionis.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Absolutum hoc iudicium; *Certa &*
infallibilis fide credo, me vitam æternam consecuturum: non
iudicium Fidei aut Spei Theologicæ, sed falsam Hæretico-
peruasionem, in qua inanis præsumptio fundatur, ut re-
fertur Laym. l. c. quia nemo sine revelatione certus est, se
gratia Dei, legis mandata observare, & nullo etiam
sacro peccato mortali teneri juxta Eccl. 9. Hinc certitudo
sive infallibilis expectatio, beatitudinis non potest esse
solida.

Deducitur 2. Desperationem meritò inter gravissima
peccata numerari, quia Deum credit, aut non esse omnipo-
tentem, ut possit: nec infinitè sapientem, ut sciat; aut certè
summè bonum & fidelem, ut velit promissis stare, & ju-
stus.

Deducitur 3. Etsi Deus non semper largiatur id, quod
petatur, non tamen propterea dici posse, quòd spes confundat,
sicut SS. Patres sapienter advertunt, sæpe Deus non exau-
dit ad voluntatem, ut exaudiat ad sanitatem. Et, teste S.
Bernardo, post orationem debito modo peractam unum in-
stantè sperare possimus, aut id scilicet, quòd petimus;
sed non, quòd melius est.

§. III.

DE CARITATIS PRINCIPIIS.

PRINCIPIUM I.

Non inest operationi Bonitas, cui deest meriti
radix Caritas.

Sensus.

Hoc est, nisi actus aliquis de se non positivè malus pro-
cedat